



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Pastorum Continens Doctrinas, & Industrias ad Pastorale
Munus piè, fructuosè, ac securè obeundum pertinentes,
Unà cum Casibus frequentius circa idem Officium
occurrere solitis, & ex communiote ...**

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1678

Pars V. De Computatione civili graduum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49267](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49267)

gationis effectus sunt. Primò, ut arrogatus cum omnibus suis Liberis & Nepotibus in potestatem arrogantis usq; adeò transeat, ut ab hoc etiam alteri in adoptionem dari possit. Secundò, ut arrogator succedat Filio arrogato ab intestato. Tertiò, ut è contrario etiam arrogatus succedat arrogatori. Quartò, ut arrogator non possit sine causa Filium arrogatum invitum emancipare, ut idem Auctor docet.

§. III.

Linea legalis Paternitatis.

| | | | |
|--------|---|------------|---|
| Titius | | Adoptatus | 1 |
| ado- | & | Liberi | 2 |
| ptans. | | Nepotes | 3 |
| | | Pronepotes | 4 |

§. IV.

Linea legalis Fraternitatis.

| | | | |
|---------|------------|---|----------|
| Titius | Liberi | 1 | |
| adopta- | & Nepotes | 2 | adoptan- |
| tas | Pronepotes | 3 | tis. |
| | Abnepotes | 4 | |

§. V.

Linea legalis Affinitatis.

| | | |
|------------|---|-------------|
| Titius | | Uxor Caij |
| Adoptans | & | Adoptati |
| Cajus ado- | & | Uxor Titij |
| ptatus | | adoptantis. |

CAPUT V.

DE COMPUTATIONE CIVILI GRADUUM.

§. I.

Quomodo jus civile arborem consanguinitatis constituat?

In linea recta eandem regulam observat, quam Jus Canonicum: pro linea transversali verò tam æquali, quam in æquali ponit unicam, eamque hanc regulam: tot sunt gradus, quot sunt personæ, stipite dempto: Unde duo Fratres juxta hanc computationem sunt in secundo gradu, qui tamen juxta Jus Canonicum in primo gradu constituuntur.

§. II.

Quis sit effectus hujus computationis.

Resp. Iste, quòd quando aut tutela committenda, aut ab intestato succedendum est, computatio juris civilis servetur; si verò matrimonium inter consanguineos in eundem de Juris Canonici computatio prævaleat.

§. III.

Quomodo gradus Affinitatis computet jus civile?

Resp. Quòd eodem modo computet hos gradus, sicut de consanguinitate diximus, hoc solùm discrimine observato, quòd Jus Canonicum velit matrimonium in quarto gradu irritum esse, jus civile verò idem impedimentum ad secundum gradum duntaxat extendat.

§. IV.

Quod discrimen inter Agnatos & Cognatos faciat jus civile?

Resp. hoc, quòd Agnati tantùm dicantur ij, qui per viri sexus personas cognatione juncti sunt; Cognati verò dicantur, qui per fœminei sexus cognationem junguntur. Unde Agnati & non Cognati hodie etiamnum in feudis succeduntur in §. hic verò de successione fraterna deciditur.

MEMBRUM XVI.

De Observandis erga Conjugatos.

Qu. 1. *Quid erga Conjugatos observare debeat Pastor? B.*
tria præcipuè illis commendanda, scilicet

Ut inter se concordiam

Arctissimam conservent.

Cum Vicinis discordiam

Vel minimam devitent.

Suorum conscientiam

Innoxiam procurent.

Qu. 2. *Quomodo Concordiam inter illos procurare debeat?*
R. si procuret, ut quædam utrique communia, quædam
utrique specialia accuratè observent. Et primò quidem
utrique communia sunt, ut se mutuò sincerè diligant, &
omnem zelotypiam tanquam exitiosissimam pestem concor-
diæ conjugalis studiosissimè devitent, eúmque in finem sem-
per memores sint saluberrimi dicti ab Alphonso Rege pro-
lati, qui tunc optimum fore inter conjuges matrimonium
dixit, si Maritus cæcus, & Uxor surda sit; deinde ut se mutuò
non fraudent, nisi ex consensu ad tempus, ut orationi vacent,
quemadmodum Apostolus 1. Cor. 7. monet, ideòque iterum
meminerint, quod idem sanctus eodem loco docuit: *Vxoris*
Vir debitum reddat, similiter & Vxor Viro. Mulier sui corporis
potestatem non habet, sed Vir, similiter & Vir sui corporis pote-
statem non habet, sed Mulier. Tertiò tandem, ut se mutuò
supportent in tolerandis defectibus animi, infirmitatibus
corporis, & oneribus matrimonii; hoc enim est, quod suadet
Apostolus Gal. 6. dicens: *Alter alterius onera portate, & sic*
adimplebitis legem Christi. Secundò, ut Maritus Uxorem
tanquam sociam tractet, atque ad eò admittat in Societatem
victûs, ut dicere cum Job, Job. 31. possit: *Si comedi Buccel-*
lam meam solus, & non comedit pupillus (aut Vxor) ex ea. Se-
cundò, in societatem honoris juxta illud S. Petri 1. Pet. 3.
Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmo-
ri vasculo Muliebri impertientes honorem tanquam & cohare-
ribus gratia vita. Hinc ex latere Adami creavit Evam, ut
esset honoris socia, Tertiò, in societatem cohabitationis;

quem in finem oportet altè cordi inculpere saluberrimam S. Pauli Eph. 5. admonitionem Ecclesiis datam: *Viri diligite Vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta & immaculata; ita & Viri debent diligere Vxores suas ut corpora sua. Qui suam Vxorem diligit, se ipsum diligit; nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam suam.* Tertiò, ut Uxor meminerit se Marito datam in adjutricem, juxta illud Genesis Gen. 2. *Non est bonum, hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi;* atque adeò studeat esse adiutorium in generandis & educandis liberis, hoc enim proprium est Uxorum, ut, sicut lac temporale præbent, ita & spirituale, adeoque doceant orare, certis temporibus frequentare Sacramenta, vitare peccata, virtutes statui convenientes exercere &c. corrigant proinde delinquentes, neque ex nimio amore parcat virgæ, ne simiarum more nimia compressione seu dilectione perimant illos, & serò impletum in se doleant illud Salomonis Prov. 29. vaticinium: *Puer, qui dimittitur voluntatis sue, confundit matrem suam.* Secundò, adiutorium in gubernanda Familia. Hinc enim Domina vocatur perinde ac Maritus, atque adeò præcepta infra afferenda etiam ad ipsam spectant. Tertiò, adiutorium in curanda re familiari; ideo enim ducitur à Marito, ut, dum ipse foris commoda domus procurat, ipsa domi ad eundem finem cooperetur. Hinc olim duo Boves sponsis offerebantur ad societatem in laboribus indicandam. Et Plutarchus volebat Uxorem esse domi prætam, ut testudo. Itaque ob oculos sibi tanquam exemplar proponat mulierem à Salomone Prov. 31. descriptam: *Cogitavit in ea cor Viri sui, & spoliis non indigebit. Quare? quia quæsit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum; consideravit semitas domus sue, & panem otiosa non comedit. hinc surrexerunt Filij eius, & beatissimam prædicaverunt, Vir eius, & laudavit eam, & dixerunt: Multa filia congregaverunt divitias, tu supergressa es universas, date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius.* Ut autem hanc laudem tantò faciliùs & certius consequatur, ante omnia studeat accuratam Marito dirigenti obedientiam præstare, memor doctrinæ à S. Paulo Eph. 5. datæ. *Mulier*

Viris suis subditi sint, sicut Domino: quoniam Vir caput est Mulieris; sicut Christus Caput est Ecclesia; sicut ergo Ecclesia subdita est Christo, ita & Mulieres Viris suis in omnibus.

Qu. 3. Quomodo discordia cum vicinis devitanda sit? R. si sequentia tria observentur. Primò, si personæ, fama, & opes ad ipsos pertinentes intactæ relinquuntur, semperque ob oculos habeatur illud S. Tobiaë c. 4. monitum: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu alteri facias.* Secundò, si curiosa inquisitio in eorum dicta & facta studiosè devitetur; & hunc in finem animo bene imprimatur salutaris illa Thomæ Kempensis l. 3. c. 24. doctrina in persona Christi prolata his verbis: *Fili, noli esse curiosus, nec vacuas gere sollicitudines. Quid enim ad te, utrum ille sit talis vel talis? aut iste sic vel sic agit, vel loquitur? Tu non indiges respondere pro aliis, sed pro te ipsa rationem reddes. Quid ergo te implicat? Ecce ego omnes cognosco, & cuncta, quæ sunt sub Sole, video, & scio, qualiter cum unoquoque sit, quid cogitet, quid velit, & ad quem finem tendat eius intentio. Mihi igitur omnia committenda sunt, tu verò serva te in bona pace, & dimitte agitantem agitare, quantum voluerit. Veniet super eum, quidquid fecerit, vel dixerit, quia me fallere non potest.* Tertiò, si in auxiliis & obsequiis præstandis promptum & benevolum se exhibuerit, atque adeò consilium illud Christi Matth. 7. observare studuerit: *Omnia, quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis,* nam, ut commune habet adagium: promptitudo obsequiorum gluten est animorum.

Qu. 4. Quid erga Domesticos, puta Liberos & Famulos observare præcipuè debeant Coniuges? R. tria præcipuè illis esse procuranda. Primum est *necessaria instructio* in rebus ad animæ salutem pertinentibus, ad quam instructionem pertinet, ut discant articulos fidei, modum orandi, Sacramenta frequentandi, atque ad hæc meliùs certiusque addiscenda suo tempore ad Catechismos & Conciones diligenter mittantur; huc enim vel maximè pertinet illa S. Pauli 1. Tim. 5. tremenda, sed tamen etiam verissima sententia: *Si quis suorum & maximè Domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Secundum est *necessaria sustentatio*; ad quam non tantum pertinet victus & habitationis liberalis subministratio, sed etiam laboris moderata impositio (novit

enim justus jumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia) & fidelis operæ compensatio juxta illud Tobia: c. 4. monitum: *Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces mercenarij tui apud te omnino non permaneat.* Tertium est necessaria correctio: *Melior enim est manifesta correctio, quàm amor absconditus; & meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta opera odientis,* teste Salomone Prov. 22.

M E M B R U M XVII.

De Observandis erga mulieres in genere.

Qu. 1. *Quid erga Mulieres in genere observare debeat Pastor?* R. tria sequentibus versibus comprehensa summo studio ab eo esse observanda.

Rarissima aspectio

Propter castimoniam conservationem.

Brevissima collocutio

Propter publicam adificationem.

Cautissima conversatio

Propter lapsus devitationem.

Qu. 2. *Quid circa aspectum mulierum observandum? Ne sequentia præcipuè.* Primò, ut, ubi necessitas aut specialis utilitas non requirit, oculi omnino in nullam figantur, sed sedulo observetur illud Jobi 31. pactum, quo dixit: *Proptigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitem quidem de Virgine, cum in finem meminerit consilii ab Ecclesiastico c. 9. dicitur: Virginem ne conspicias, ne fortè scandalizeris in forma illius, & serò cum dolore fateri cogaris: Oculus meus deperatorem animam meam.* Dicat proinde assiduò cum S. Davide Psal. 118. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Secundò, ut, si necesse fuerit, aliquam aspicere, oculi non figantur in aspectu; uti sapienter suis S. Augustinus in Regulis reg. 11. præscripsit dicens: *Oculi vestri, etsi iaciantur in aliquam feminam, in nullam figantur; neque enim, quando proceditis, feminas videre prohibemini. Sed appetere, vel ab ipsis appeti, verminosum est; nec dicatis vos habere animos pudicos, si oculos habeatis impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius.* Tertio, ut, si etiam ex brevi & necessario quibus

aspectu concupiscentia suboritur, oculi statim avertantur (dicendo cum S. Silvano: Claudamini oculi mei, & ad meliora vos cœli gaudia reservate) aut certè ad cœlos eleventur dicendo cum S. Davide Psal. 118. *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis*: aut *Oculi mei defecerunt in salutare tuum, & in eloquium Iustitiæ tuæ*; in quem finem hîc specialiter meminisse oportet consilii à Christo Matth. 5. dati: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te.*

Qu. 3. *Quid circa colloquutionem observandum sit?* R. itidem tria. Primò, ut *rara* sit: ita sapienter monet Trithemius Ep. c. 2. Colloquia sceminarum devota; quia per levia verba venitur ad pessima facta; multos enim decepit incauta sceminarum allocutio. Hinc & Salomon rectè monet: *Ne attendas fallacia mulieris: fœvus enim distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius; novissima autem illius amara quasi absinthium, & acuta quasi gladius biceps.* Secundò, ut *brevia* sit: quia sic minus erit periculum, ne cor à tali igne, cui mulier à Salomone comparatur, incalescat. Certè de muliere meretrice idem Salomon Prov. 7. testatur. *Quòd irretivit adolescentem multis sermonibus, & blanditiis labiorum pertraxerit illum, ut quasi bos ad victimam statim secutus eam fuerit.* Tertiò, ut sit *seria*: id est, de rebus ad salutem animarum spectantibus, atque adeò omnia sensualia, vana, levia, ociosa, & multò magis turpia colloquia severissimè arceantur, ut de illo propter talem mortificationem & cautelam dici possit pulcherrimum illud sponsi elogium Cant. 5. *Labia eius stillantia myrrham primam.* Eum in finem altè cordi imprimat verissimam illam & tremendam S. Bernardi sententiam: *Inter seculares nugæ, nugæ sunt: in ore Sacerdotis Blasphemia: Consecrasti os tuum Evangelio: talibus iam aperire illicitum; adsuofacere sacrilegum est; & sanè, si in ulla re attendere debet famam conservare cupiens, hæc est, ut scilicet ab omnibus etiam ridiculis duntaxat verbis coram mulieribus absteat; cùm enim, ut bene advertit Clemens Alexandrinus l. 2. de pæd. c. 5. verba omnia à cogitationibus & moribus emanent, fieri non potest, ut verba aliqua mittantur ridicula, quæ non procedant à moribus ridiculis; ex abundantia enim cordis os loquitur.*

Qu. 4. *Quid circa conversationem cum mulieribus sit observan-*

servandum? R. pariter tria. Primò, ut non sit solitaria; ita S. Hieronymus ad Nepotianum suadet: *Hospitium tuum aut rarò, aut nunquam mulierum pedes terant; quòd, si forte propter officium Clericatus aut Viduæ visitetur aut Virgo, nunquam domum solus introeas. Tales habeto socios, quorum consortio non infameris. Solus cum sola secreto & absque arbitrio vel teste, non sedeas; rationem autem hujus consilii pulchè explicat septima Synodus generalis his verbis: Certè solam ad solam accedere nulla religionis ratio permittit. Melius est enim duos esse simul, quàm unum; simul enim est fidelis tractatus res geritur. Va enim uni, quia, si ceciderit, non est, qui erigat eum.* Secundò, ut ab omni tactu etiam manuum abstineat, neque se tangi ab illis permittat, itaque sequatur exemplum Christi, qui etsi jam gloriosus dixit D. Magdalenz: *Noli me tangere.* Hunc in finem bene apprehendere oportet notabilem illam Salomonis Prov. 6. sententiam, quâ dixit: *Sicut non potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant, aut ambulare super prunam, ut non comburantur planta eius; sic, qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus, cum tetigerit eam:* id quòd bene ponderavit S. Ursinus, dum fœminæ sibi in agone appropinquantanti dixit: *Recede à me mulier, adhuc ignisculus vivit, paleam tolle.* Aliam causam verò attulit Abbas quidam, dum Monacho petenti, ut propter curam morbi liceret in dompiarum fœminarum habitare, pertinaciter id negavit; illi verò objiciente, nullum periculum adesse, quòd corpus suum jam propè emortuum esset, respondit, corpus quidem tuum mortuum est, sed non perinde diabolus, qui videns te in occasione positum aggredietur, & prosterneat, id, quòd te postmodum evenit. Tertiò, ut etiam munuscula non facile acceptet; nam ut sapienter S. Hieronymus advertit, *crebra munuscula, dulces litteras, & sudariola, & pragustatos cibos sanctus amor non habet: hac enim omnia carnem sapunt.* Certè huc meritò etiam quadrat illud Salomonis Prov. 23. effatum: *Victoriam & honorem acquirat, qui dat munus, animam autem aufert accipientium.* E contrario verò, qui excutit manus suas ab omni munere, in excelsis habitabit, teste Isaia c. 32.

Qu. 5. A quarum Mulierum conversatione specialiter se

abstinendum? R. et si omnes fugiendæ fiat, quantum fieri potest, tres tamen species speciali studio sunt fugiendæ. Prima est earum, quæ adhuc juvenes & solutæ sunt; hæ enim, ut bene advertit Humbertus in regulam S. Augustini cap. 12. cum tentatio carnis sit in earum natura, nec habeant occasionem satiandi desiderium carnis, facilius alliciunt, quam aliæ. Hinc & S. Paulus 1. Tim. c. 5. monet Timotheum, ut adolescentiores Viduas devitet. Secunda species est earum, quæ habitum & speciem Sanctitatis habent; ab his enim S. Augustinus magis cavendum ait, quia, quanto sunt melioris famæ, tanto citius alliciunt, eò quòd sub affectu pietatis se supponat viscus impiæ libidinis, perniciosum mortis Venenum projiciens. Tertia species est earum, quæ vilis sunt conditionis, quia, ut idem sanctus ait, *quanto vilior earum conditio, tanto ruina facilior.*

Qu. 6. *An consultum sit, ut in famulitium assumantur mulieres à Pastore?* R. haud dubiè consultum non esse; ita enim passim SS. Patres suadent, & hortantur, & S. Augustinus exemplo probavit, dum nec sororem quidem in contubernium admittere voluit dicens: quæ cum sorore mea sunt, non omnes sunt sorores; sed & S. Hieronymus Rustico suavit, ut ne matri quidem cohabitaret; S. Gregorius omnes potius generatim ex familia abesse, quam unam adesse volebat. Imò S. Cyprianus specialiter sibi à DEO præceptum fuisse testatur, ut mandaret, ne Clerici cum fœminis commorentur; unde rectè Concilium Moguntinum prohibuit, ne Sacerdos etiam mulieres illas, quas Canones permittunt, Matrem scilicet, Amitam, & Sororem secum in eadem domo retineat; instigante diabolo, & in illis scelus perpetratum reperitur, aut etiam in pedissequis earum. Quòd si tamen necessitas aliud suadeat, saltem illud Salomonis consilium non negligat, quod dixit: *En lectulum Salomonis (quidni & Sacerdotis?) sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël (id est, cælestibus Spiritibus) omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, uniuscuiusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos; sed & ipse sibi de ancilla sua dictum patet illud S. Petri 1. Pet. 5. Fratres sobrii estote & vigilate, quia Adversarius vester (Ancilla vestra) tanquam Leo rugiens circuit, quærens, quem devoret, cui resistite fortes in fide.*

Qu. 7.

Qu. 7. Quas ob causas tantopere mulierum consortium fugere debeat Pastor? R. ob triplex periculum. Primb, propter periculum fama amittenda; nam prima tentamenta Clericorum, teste S. Hieronymo Epist. ad Oceanum, sunt feminarum frequentes accessus: iste sexus reprehensibiles exhibet Clericos; quid tibi revera cum foeminis, qui ad Altare cum Domino fabularis? te in publico cuncti, te in agro Rustici, Arantae & Vinitores quotidie lacerabunt, si contra depositum fidei cum foeminis habitare contendes. Secundò, propter periculum castitatis violandae; nam, ut bene Trithemius Epist. c. 2. ait quantumlibet sancta sit foemina, semper Clerico est timenda, sicut enim scintilla de carbonibus profiliunt; ita virus Conceptionis ex Mulierum assidua familiaritate diffunditur. Lanua Diaboli, Porta inferni, Via iniquitatis, Scorpionisque dira percussio & nocivum genus fallendi Viro casto familiaris est foemina; cum proximat, stimulas: cum loquitur, incendit: non tangit, vehementer exurit. Non damnamus sexum, sed castitatis damnamus periculum. Nec minus patheticè alius quispiam in manu. Paroch. p. 3. num. 5. sic describit hoc periculum; Hic si suspiciam blanda pericula Sirenium, imò rabida scylla, profunda charybdes, latentes scopuli & infamia multorum naufragii Acrocerania. Tritum adagium est: mare, ignis, mulier tria mala, sed tamen minus tempestuosum est mare; ignis minus inflammat, in muliere omnia nocent. Oculi instar Babilisci, vel solo aspectu venenant, labia & ora flammas vomunt, vel levis contactus inscit; & quod atrocius est, mulierem spera Litera cum Leone, Vrso, Pardo, Colubro Serpente comparant. Neque dicas: Cavebo, attendam mihi, nam, ut beatus Cyprianus ait: Lubrica spes est, qua inter fomenta peccati sperat salvari; impossibilis liberatio est flammis circumdatis ardere: quod Salomon non negat dicens: Quis allegabit in suo ignem, vestimenta autem sua non comburet? difficile est quod venenum bibat, & vivet. Verendum est dormienti in ripa, ut cadat; expedit plus bene timere, quam male vivere. Quod si dixeris, ait S. Hieronymus, mihi sufficit conscientia mea, habeo DEVM Iudicem, qui mea vita est testis, non curo, quid loquantur homines, audi Apostolum scribentem: Providentia non tantum coram DEO, sed etiam coram omnibus hominibus. Tertio, propter periculum salutis perdenda; nam, ut

rum pronuntiat Trithemius Ep. 2. n. 29. adeò difficile est, Sacerdotem semel in fornicationem lapsum, ad castitatem veram posse resurgere, ut ex omnibus unum vix queas invenire; nam vivunt jam licenter in peccatis (Sacerdos & concubina) diabolico glutine conjuncti, vivunt coram hominibus diffamati, vivunt à DEO alieni, in desperationem mortis crimen in veteratum vertitur, pœnitentiæ remedium derideatur, longanimitas patientiæ DEI contemnitur, quam putas hi pœnitentiam agunt in extremis, quando non voluntate, sed necessitate urgentur? Qui omne tempus vitæ in luxuria consumpserunt, in extremis vitæ suæ articulis veram pœnitentiam rarò consequuntur. Denique, si revelationibus credendum est, maxima apud Inferos Clericorum multitudo inæstimabiles propter vitium incontinentiæ pœnas in æternum duraturas patitur. Qualem igitur te senem desideras, talis quoque nunc juvenis vivas, difficile namque est, senem mores corrigere, & in veteri mente nova cogitare. Enimverò senectus mores habet, non accipit: qui cum fœmina juvenis lascivit, senex insanit. Bonum itaque est homini, si portaverit jugum Domini ab adolescentia sua, quoniam, si malus in juventute quis existit, rarò in senectute bonus erit.

Qu. 8. *Qua mediâ adhibere debeat Pastor ad hoc periculum, quod à mulieribus imminet, devotandum?* R. tria præcipuè ipsi specialiter adhibenda videri. Primum est *Sacerdotalis dignitatis recordatio*. Ita Trithemius Epist. c. 2. n. 7. suadet his verbis: *Memento, cum quo loquaris in Altari, & os divini ministeris consecratum ne effundas in oscula meretricum (ne audias illud Christi: Sacerdos osculo Filium hominis tradis?) turpissimum est enim, manibus sanctæ Vnctionis oleo consecratis, quibus DEI Filius tenetur & immolatur, tactibus pollutis contingere mulierem.* Secundum est *diffidentia in propriis viribus*, quâ fateatur cum Salomone, se non posse esse continentem, nisi DEUS det, atque adeò auxilium DEI & Sanctorum sedulo imploret, cautèque ambulet, sedulo cavendo nimiam de sua constantia fiduciam. Ita iterum Trithemius l. c. n. 34. *Nemo de sua fortitudine presumat, nemo de pristina castitate confidat, quoniam saepe, qui hodie fortiter stare cernitur, cras in profundum fornicationis cadere videtur. Sapientissimus Salomon dolos mulierum cavere non potuit, qui modo rurus erit?*

cadis

cadit gladio mulierum fortis & sapiens, & nos fragiles impientesque de securitate presumimus? & iterum c. 3. n. 12. tu te si viceris, aliquando securum aestimes, quia non est completa victoria, ubi quotidiana est pugna; quamdiu ergo potes subire, non credas te vicisse. Noli in tua fortitudine confidere, nec victoriam arrogare, sed spem tuam in solius DEI adiutorio consistere; nemo enim castus viribus suis confidit. Opone ergo contra tentationes carnis sine intermissione orare ad Dominum, & dicere: Consiige timore tuo carnes meas, à Indici enim tuus timui. Tertium, fuga & matura resistens: Hoc ab antiquis etiam Daphnis virum insidiantem fugiens fugebatur in laurum conversa. Rectè proinde etiam Trithemius Epist. c. 3. n. 42. & c. 3. n. 11. principis tentationum obstandum est, quia luxuria nunquam melius vincitur, quam si per fugam declinetur, nam si per consuetudinem semel te involverit, nunquam sine speciali gratia liberum dimittit; lubricus est serpens libidinis, & nisi in capite non facile conteritur, eum adhuc infirmus est Adversarius, facile superatur. Porro duplex fuga est suscipienda; Prior est fuga occasionum, quales sunt præ reliquis otium (quod omnem malitiam & luxuriam specialiter docet) Vinum (de quo bene Trithemius Epist. c. 3. n. 14. Vinum, in quo est luxuria, semper sibi spectum, ne duplici ardore incendaris, potus scilicet & inveniuntis: ignem luxuria fovet in gremio, qui assiduo utitur vino. Verendorum Noë denudatio, incestus Loth, te Vinum (semper temere admonent) & Mulieres, de quibus illud sponsæ Cant. ult. sibi meritò applicabit Pastor: Fuge dilecte mi, & assilare caprea hinnuloque cervorum. Vel illud Ecclesiasticum 12. Quasi à facie colubri fuge; alioqui enim nihil alia media, nihil S. Angeli assistentia iuvabunt, qui, ut bene advertit Cyprianus, Custos nobis datus est, ut contraria declinantibus assistendo subveniat, non ut contraria eligentibus faveret, ut voluntarios & pronos in adversa confortet, sed ut ab adversis nitentes separari confirmet; nam quicumque perniciosis carnalibus audet exercere virtutem, iuvamen Spiritus S. non habet, qui neminem vult ultroneum virum fortem ad fructus virtutis insidias coarctari, nec protegit eum, sed deserit, quærens periculis irruentem, per illicitos eventus exquirere triumphos agnovit, sicut ipse iam tunc per Salomonem locutus est dicitur.

mans periculum in illo peribit; ordine igitur suo, non nostro arbitrio virtus Spiritus S. administratur, & secundum institutum eum praelia prosperantur.

Posterior fuga est ad SS. Passionem & vulnera Christi: de qua sic Trithemius: Quotiescunque cogitatio turpis mentem pulsare coeperit, memoria Dominicæ Passionis subeat, cogitarum suum in vulnera JESU Christi ponat: Scriptum namque est: Beatus, qui tenebit & allidet parvulos suos ad Petram: Petra autem erat Christus. Recordatio etenim Dominicæ Passionis, omnium tentationum efficacissimum remedium est. Enimverò quem Christi Passio non emollit, nulla exercitatio curabit. Ut ergo concludatur tandem hæc materia, placet verba à dicto S. Cypriano usurpata huc apponere: Sic igitur ambulate, sic agite, ut semper in Clericis Ecclesiæ Senatus candidus constet. Severitas in vobis circa feminas vigeat, auctoritas polleat, vigor teneatur, gravitas veneretur. Et ut semel omnia colligamus ad clausulam, Breviarium relegimus vobis, quod S. Apostolus insinuat: de cætero, Fratres, quæcunque vera sunt, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, siqua virtus, siqua laus disciplinæ, hæc cogitare, quæ didicistis & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc agite, & DEUS pacis & dilectionis erit vobiscum.

M E M B R V M XVIII.

De Observandis erga Captivos.

Qu. 1. Quid circa hos observare debeat Pastor? R. sequentia tria procuranda.

- Amica consolatio,
Ne animo languescant.
- Honesta occupatio,
Ne otio torpescant.
- Zelosa exhortatio,
Ne merito decrescant.

Qu. 2. Quid circa consolationem sit observandum? R. triplicis necessitatis sublevationem procurandam, quam plerumque ejusmodi captivi patiuntur. Prima est necessitas alimonie convenientis, quæ proinde oportet vel cibo vel potu, vel

Instructio IV.

P

certe

certè pecuniâ, quâ eam emere possit, ex propriis bonis oblatâ, vel aliunde emendicatâ sublevari. Secunda est *necessitas solatii* ad pellendam tristitiam ex infamia vel molesta captivitate, quæ à lucro impedit, creatâ, quam, cum raro omnino tolli possit, saltem leniri convenit, tum opportunis rationibus eum in finem propositis, præcipuè exemplis SS. Virorum & Mulierum; tum Libris etiam, si legere similia queant. Tertia est *necessitas roboris* ad odij & indignationis adversus eos, quos causam hujus captivitatis vel fuisse sciunt, vel cense suspicantur, concepti expugnationem, quod proinde robor illis per opportunas rationes eum in finem in memoriam revocatas erit conferendum.

Qu. 3. *Quid circa occupationem observandum sit?* Resp. triplicem potissimum esse suadendam captivo. Prima *labor manualis*, si commodè id fieri possit, præcipuè si etiam lucrum aliquod inde sperandum foret. Secunda *lectio*, si peritus sit hujus artis; quem in finem oportet libros pro catenaribus aptos providere, vel certè ex sua Bibliotheca concedere, quales sunt Vita Christi à D. Bonaventura conscripta, Vita Sanctorum, *Stammenbuch* Christi, vel B. Vagans, *Trossbrunnen* P. Georgij Vogleri, *Haus- & Apothecken* D. Georgij Pistoris, *Heliotropium*, *Gymnasium patientiæ*, *Eternitas Cælum*, aut *Infernum* Hieremiæ Drexelij, *Pædagogus Christianus*, præcipuè in secunda parte. Tertia *oratio*, quæ proinde varios modos per diversa Rosaria, varias peregrinationes mente peractas, meditationem Mysteriorum S. Patris, considerationem diversorum statuum, puta damnatorum, purgantium animarum, infirmorum &c. audicionem Missæ imaginariam, suggerere oportebit.

Qu. 4. *Quid circa adhortationem observandum sit?* Resp. triplicem præcipuè scopum huic esse præfigendum. Primus est *satisfactio DEO & Republicæ præstanda*, quam tunc præstabit, si pœnam hanc cum debita patientia, charitate & intentione suscipiat, & ijs, quibus damnum intulit, ex amore pietatis, quantum fieri potest, satisfacere studeat, ad quos proinde actus exercendos instituendus & juvandus est, confessionis præcipuè remedio eum in finem adhibito, si non sit periculum capitalis supplicij. Secundus est *emendatio caræ*, quæ consistit præcipuè in duobus capitibus, scilicet in dicitur

statione præteritorum peccatorum, quibus hanc & graviores pœnas meruit; tum in serio proposito ea deinceps vitandi, ad quæ proinde duo capita obtinenda ostendet primò Captivo æquitatem divinæ justitiæ hoc flagello castigantis, & simul misericordiæ, quæ pro æterna temporalem, & quidem tam levem pœnam eidem imponit, ei obviantis: deinde gravitatem delictorum, tum illorum, propter quæ nunc in carcerem conjectus est; tum aliorum, ob quæ DEUS hanc pœnam immisit, clarè ostendet; & tandem acerbiter fructuum, quos creârunt ejusmodi peccata, ostendendo, illam S. Pauli Rom. 6. sententiam opportunè in memoriam revocabit: *Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Tertium est *meritorum caelestium multiplicatio*, quem in finem ostendere illi oportebit, quomodo ex necessitate virtutem facere, & captivitatem hanc non tantùm satisfactoriam, sed etiam meritoriam, & quidem non leviter redere queat.

Qu. 5. *Quibus mediis uti debeat Pastor ad supradicta capita facilius obtinenda?* R. sequentibus potissimum. Primò, *accuratâ præmeditatione*, quâ domi privatim consideret, quibus maximè tentationibus aut necessitatibus captivi affligantur, & quomodo eis occurrendum sit. Secundò, *frequenti Visitatione*: quia per hanc & ipsi captivo non leve solatium creabit, si tantum amorem & sollicitudinem pro ipsius salute consolatione susceptum viderit, & sibi per experientias varias facilem hujus actionis praxin efficiet. Tertio, *fructuosâ reflexione*, quâ scilicet, ubi ex Visitatione talium Captivorum domum redierit, diligenter se reflectat, quomodo in ea se gesserit, quæ media, & quo successu adhibuerit: quod impedimentum intervenerit, quò minùs adhibita media feliciter succederent, & quomodo removendum sit.

MEMBRUM XIX.

De Observandis erga Damnatos ad mortem.

Qu. 1. *Quid circa hos observare Pastor debeat?* R. in genere sequentia procuranda esse.

Zelosa confortatio,

Vi promptè pariatur.

P 2

COR.

Condigna satisfactio,

Vt culpa deleatur

Perfecta dispositio,

Vt piè moriatur.

Qu. 2. Quid in specie ante sententiam mortis deueniatis observare debeat? R. hæc præcipuè. 1. Benevolentia conciliatio, quæ obtinebitur frequenti visitatione, consolatoria allocutione, amica comiseratione, tum affectu, quem explicare oportet, tum effectu, id est, per beneficia, quibus indiget, aut capax est, demonstrata. 2. Adhortatio efficax ad virtutem ex necessitate faciendam, tempusque, quod superest, bene pro salute animæ collocandum. 3. Frudens cautela, qua caveat, ne, aut confessionem Rei ante sententiam excipiat, nisi ipsemet instanter petat, nec patrocinium illius pro vita donanda, aut sententia mutanda se recepturum promittat, aut spem incertam vitæ conservandæ faciat.

Qu. 3. Quid post sententiam latam & indicatam observandum sit? R. primò excitandus ad mortis sententiam æquo animo ferendam, Christi potissimum & Sanctorum similitudine supplicium subeuntium & damnatorum in inferno, graviosa longè sine fructu & merito patientium exemplis propulsa. Secundò, præparandus ad mortem piè obeundam per accuratam confessionem & devotam Communionem prædiæ, quam supplicium obeat, peragendam. Tertiò, occupandus primum per appositas preces, & virtutum variarum actus, tum per opportuna colloquia, aut lectionem; tum etiam per corporales refocillationes melioris refectionis, aut somni moderati.

Qu. 4. Quid in actuali educatione & supplicio sit observandum? R. sequentia præstanda. Primò, horror mortis excitandus aut temperandus, tum exemplis Christi & Sanctorum iterum in memoriam revocatis, tum spe immensæ æternæ felicitatis. Secundò, removenda impedimenta bonæ mortis, qualia sunt, quæ vel animum à pijs cogitationibus avocant (uti aspectus curiosus Populi comitantis) aut quæ tentationes novas creare possunt, uti auditio feralis sententiæ (quæ tamen in re vel consuetudo loci, vel delictum Rei, si id petat, attendenda) occursatio domesticorum aut amicorum, vel quæ horrorem augere possunt, uti vociferatio

exotica adhortantis, comploratio mulierum condolentium. Tertio suggerendæ constanter piæ cogitationes & preces ad mortem disponentes, ubi potissimum Passio Christi per partes aptè in memoriam revocata, & ad præsentem circumstantiam accommodata, actus præterea virtutum Theologicarum & aliarum repetiti, condonatio injuriarum, repetitio absolutionis, pronuntiatio SS. Nominum pro indulgentiis obtinendis fervient.

Qu. 5. *Quid post mortem Rei observandum?* R. primò, hortandi circumstantes, ut orent pro defuncto, & aptà adhortatiunculà ad fructum ex tristi spectaculo reportandum animandi. Secundò, consolandi Consanguinei Rei, & ad executionem earum rerum, quas tum ipse Reus fortè per ipsos fieri desideravit, tum charitas ipsi debita exigit, incitandi. Tertio, reflexio super omnes actiones cum Reo susceptas instituenda, & quæ minus recta videbuntur, notanda, ut futuro tempore emendentur; quæ autem feliciter successerunt, pro ulteriori praxi in memoria reservanda.

Qu. 6. *Quibus mediis præcipuè uti debeat Pastor ad supraddicta Capita ritè observanda?* R. primò, *Zelo indefesso*, qui si in ulla alia actione, in hoc apertissimum campum habet, propter insignem occasionem non ipsius duntaxat Rei, sed aliorum etiam, qui vel ipsum invidunt, vel supplicio intersunt, salutem & commodum promovendi. Secundò, *generosâ audaciâ*, quâ non modo Reo inter ipsum supplicium intrepidus assistat, sed magna etiam cum libertate cum ad omnia, quæ præsens status ab eo requirit, facienda instiget, suaviterque compellat. Tertio, *discretâ prudentiâ*: ne aut nimis adhortationibus, aliisque piis exercitiis Reum nimis fatiget, aut aliud quid faciat, quod eum potius offendere, averfionemque ab ipso Pastore aut Judice parere, quàm ædificare & solari possit.

Dubia moralia.

Qu. 1. *An possit aut debeat Pastor permittere aut suadere, ut Reus iuridice propter semiplenam probationem vel indicia æquivalentia interrogatus de crimine, illud cum æquivocatione neget?* R. 1. posse ipsum permittere, ut id faciat, cum id liceret multi hodie, iique valde probati Auctores doceant, in specie

specie autem Filiucius, Regin. & alij apud & cum Diana p. tract. 15. reg. 27. quorum sententiam etiam Lugo, Tann. Dicast. & alij probabilem esse fatentur, eò quòd homo maximum habeat jus ad propriam vitam & bona Temporalia defendenda, atque adeò lex humana non videatur posse obligare cum tanto incommodo. R. 2. non teneri id suadere, cum possit tutà conscientia sequi contrariam sententiam, ut magis communem, ita ferè & probabilem magis; imò nec consultum videtur, ut sponte suadeat, cum per hoc graviter offendere Magistratum, atque à se abalienare possit.

Qu. 2. An, si Reus crimen negavit, & per hoc accusator in probatione succumbenti, infamiam aspersit, debeat Pastor eum ad retractionem negationis hortari? R. negativè cum Layman. l. 3. rr. 6. c. 4. n. 4. & communi, eò quòd quisque habeat jus defendendi famam suam contra injustum infamatorum, qualis etiam in præsentì casu est accusator, ut potest contra juris ordinem de crimine occulto publicè alium accusans & infamans.

Qu. 3. An, si Reus vi tormentorum fassus sit crimen, quod non comisit, debeat Pastor eum ad revocationem adstringere? R. non debere, eò quòd non teneatur cum tanto cruciata vitam tueri, uti probabiliter docent Tann. Sylv. Less. Busenb. l. 4. c. 3. du. 2. Tann. to. 3. d. 4. q. 4. n. 99. & alij contra multos.

Qu. 4. An, si Reus aliquis propter delictum non capitale incarceratus, radio carceris diuturni velit crimen capitale revelare, quod verè commisit, sponte prodere Iudici, possit id Pastor permittere? R. etsi non desint, qui teste Dicastillo l. 2. de iust. rr. 1. d. 6. n. 48. negativam teneant sententiam; rectius tamen ipsum cum communi aliorum affirmativè respondent, eò quòd alius possit ipsum accusare de isto crimine, si juridice probare queat, ergo & ipse Reus id poterit, cum propria accusatio sit sufficiens probatio.

Qu. 5. An, si Reus interrogat, num socios criminis sine peccato prodere possit, Pastor affirmativè respondere possit? R. id quidem negare Dicastillo, si crimen non sit exceptum, ac potest tamen probabiliter affirmativam sententiam tueri Tannorum d. 4. q. 4. n. 98. & Henriquez, eò quòd tali modo ad peccatitiam defensionem, & Reipublicæ incolamitatem cooperari videatur.

De Observandis erga Damnatos ad mortem. 227

Qu. 6. An, si quarat Reus, num possit licitè carceres effringere, Pastor id permittere possit? R. in tali casu optimè facturum Pastorem, si dicat esse quidem Auctores, qui affirmant, id licitè fieri, si aut periculum vitæ, aut diuturni carceris, vel damnationis ad tiores imminet; verùm se nec suadere, nec dissuadere alterutram partem, sed relinquere ipsius arbitrio, quid hoc in casu facere velit.

Qu. 7. An, si Cognati querant, num licitè instrumenta subministrare captivo Cognato, aut alio modo ad fugam cooperari possint, Pastor affirmativè respondere debeat? R. id quidem licitè fieri, si pœnæ gravis sit periculum, docere Dicastillum contra communem; verùm rectiùs videri facere Pastorem, si eo modo se gerat, sicut in priori casu ipsum gerere se debere diximus, cum ex positiva tali suasionem aut cooperationem graviter non à se tantum, sed aliis etiam Clericis, utpote justitiam impedire volentibus, Magistratum avertere queat.

Qu. 8. An, si Reus ipso die, quo supplicium subibit, Communionem petat, Pastor eandem dare debeat? R. affirmativè p. 5. tr. 3. ref. 38. & p. 3. tr. 6. ref. 59. cum Jordan. & Quintanad. & aliis apud & cum Diana, etiam si statim post Communionem esset rapiendus ad mortem, cum in c. 8. caus. 26. qu. 6. dicatur, si quis continuò creditur moriturus, infundatur ei Eucharistia; imò etiam si talis damnatus jejunos non ampliùs foret, Communionem ei, si ex devotione petat, permittendam esse, idem Diana cum pluribus à se citatis docet.

Qu. 9. An, si Reus sit rota affixus, possit & debeat Pastor ei Extremam Unctionem impertiri? R. cum plerumque consuetudo id non habeat, ut ejusmodi hominibus dictum Sacramentum conferatur, non obligari Pastorem ad id conferendum; si tamen id tam ferventer peteret, posse illud ministrare, juxta sententiam P. Simonis Felicis docti Theologi & P. Gobat in Alphab. ext. Unct. n. 850. cum verè etiam talis Reus sit graviter infirmus, & medio contra tentationes roborante indigeat.

Qu. 10. An licitum sit pulsare campanam benedictam in signum, quòd aliquis Malefactor supplicio afficiendus sit? Resp. affirmativè cum Diana p. 6. tr. 2. ref. 37. si signum hoc detur ad preces pro Reo fundendas, cum ad alios similes usus passim campanæ benedictæ adhibeantur.

Qu. 11. An, si Iudex duobus Reis capitis supplicium promittit duellum indicat, Pastor Reis permittere possit, ut illud acceptent? R. Layman l. 3. tr. 3. p. 3. c. 5. n. 1. cum Arce affirmativè, modò tales Rei non ex odio, sed tum publicæ Justitiæ Zelo, tum propriæ vitæ salvandæ causâ duellum tale suscipiant.

M E M B R U M XX.

De Observandis erga Infirmos.

Qu. 1. Quid circa hos præcipuè observare Pastor debent? R. ea, quæ sequentibus versiculis indicantur.

Hos visita velociter

Pro obligatione.

Alloquere suaviter

Pro consolatione.

Subleva liberaliter

Pro confortatione.

Qu. 2. Quid circa Visitationem observandum sit? R. sequentia præcipuè: Primò, ut sit *prompta*, id est, ut, quoties, & ad quoscunque vocatus fuerit, sine tergiversatione accedat, Christi in hoc exemplum secutus, qui vocatus dixit: *Veniam, & curabo eum.* Secundò, ut *crebra* sit; si enim Medici corporales toties ægros suos visitant, quidni Medicus spiritualis idem præstet? Tertiò, ut *fructuosa* sit, qualis erit, si triplicem scopum huic Visitationi præfixum obtinere studeat. Quorum primus est bona dispositio ægri ad morbum debito modo acceptandum & tolerandum, ad quam requiruntur, tum impedimentorum (qualia sunt peccata & tentationes aliæque ægris molestæ, v. g. quòd per morbum à lucro, officijs, exercitijs devotionis impediuntur: quòd alijs molesti sint, quòd media ad morbi curationem vel sublevationem necessaria non habeant) remotio; tum variorum adjumentorum oblatio (qualia sunt fides de morbo hoc per providentiam divinam ex speciali amore erga illum submissio: desiderium patienti, tum propter DEVM tanta patientem, tum propter præmij promissi magnitudinem, tum propter necessitatem patienti, ex qua virtutem facere oportet; & tandem efficitur adhortatio ad frequentem orationem & solidarum virtutum præcipuè Theologicarum, patientiæque & resignationis

actus exercendos. Secundus scopus est solida consolatio ægri, quæ tum per suavem allocutionem, tum per sinceram condolentiam, tum per opportunam suggestionem variorum motivorum ad patientiam & resignationem excitantium, qualia sunt memoria Passionis Christi, Gloriæ æternæ, Purgatorij, Inferni, aliorum hominum ex necessitate vel virtute graviora patientium & passorum, amor erga Christum, Sanctos, animas purgantes &c. procuranda est. Tertius est benigna sublevatio, de qua paulò post dicitur.

Qu. 3. *Quid circa allocutionem observandum sit?* R. tria præcipuè. Primò, *amica salutatio*, proprio etiam nomine, apud Plebeios maximè facta. Secundò, *prudens collocutio*, ut priùs de morbo, aliisque rebus ægro gratis fiat initium, & postea paulatim ad magis salutaria fiat progressus: ut non nimis æger oneretur longis precibus & discursibus: ut in his ipsis precibus & discursibus grata varietas adhibeatur: Ut sermo interdum ad adstantes convertatur, cum scœnore ad ægrum rediturus: ut impatientia & alij defectus prudenter dissimulentur pro benevolentia conservanda; imò, quantum fieri potest, etiam excusentur, & indirectè interea per adhortationem ad patientiam similisque virtutes curentur. Tertio, *affettuosa valedictio*, qualis erit, si ex intimo corde profecta agnoscatur: si in Christi SS. Vulnere, in sinu Matris Misericordiæ, & in protectionem atque tutelam SS. Patronorum affectuosè commendetur: & tandem Benedictio per aliquam benedictam & aptam, variamque verborum formulam impertiatur.

Qu. 4. *Quid circa sublevationem observandum sit?* Resp. primò, ut studeat ægrum mediocrium corporalium undecunque conquisitorum oblatione juvare; aut certè, si hoc non potest, sinceram voluntatem procurandi & offerendi ostendat. Secundò, ut tum ipse per preces suas DEO ipsos frequenter commendat, tum aliorum etiam suffragia eum in finem emendicet. Tertio, ut suavi alloquio, tum sinceram suam erga ipsos dilectionem & commiserationem ostendat, tum solida motiva suggerat, quibus excitati & animati, levius molestias suæ infirmitatis ferant.

Qu. 5. *Quare prædicta capita singulari studio observare debeat Pastor?* R. obsequentes potissimum causas. Primò, quia

quia summè conducunt ad Gloriam DEI promovendam, ut pote quæ specialiter per adversa amore illius fortiter circumspecta augetur. Hinc P. Balthasar Alvarez cuidam Patri ægro dolenti, quòd ministeriis suis, prout sanus consueverat, vacare non posset, dixit, pluris facere DEUM, quòd quis per mensem in morbo eum sustineat ac toleret, quàm si in ministeriis per integrum mensem ei serviret. Secundo, quia summè conducit ad charitatem proximo exhibendam, ut quæ per auxilium & solatium in adversis oblatum maximè decuratur. Tertio, quia summè conducit ad proprium meritum augendum partim propter generosam Victoriam difficultatum in hac praxi occurrentium, partim propter insignis actionis tantopere ad honorem DEI & Proximi conducentis excellentiam.

Qu. 6. *Quibus industriis uti debeat Pastor, ut prædicti mone-
re rectè fungatur?* R. tribus præcipuè. Primò, *solicitâ in-
quisitione*, quâ sæpius de statu suorum ægrorum, deque va-
riatione, augmento, vel decremento inquirat. Secundo, *accuratâ consideratione*, quâ consideret domi, qui ægro præ
aliis auxilio indigeant, quòve die ac ordine sint visitandi,
quomodo illis succurrendum sit, sive per tentationum pro-
pulsationem, sive per zelosam adhortationem, sive per me-
diarum corporalium charitativam oblationem vel procurati-
onem. Tertio, *fructuosâ discussione*, quâ se iterum, ubi
domum redierit, examinet, quo successu & fructu cum ægro
actum sit, & quid deinceps emendandum sit.

MEMBRUM XXI.

De Observandis erga Moribundos.

Qu. 1. *Quid circa hos præcipuè observare debeat Pastor?*
sequentia summo studio procurare debere.

Ut hinc discedant liberè

Post facta testamenta.

Ut disponantur optimè

Per sumpta Sacramenta.

Ut muniantur validè

Ad hostis testamenta.

Qu. 2. *Quid circa testamenta observandum sit?* R. hæc
præcipuè curanda Pastori. Primò, ut *maturè* fiant à mori-
bundo

bundis, ad quam proinde accelerationem aptis argumentis inducendi sunt. Secundò, ut legitime fiant, id est, cum debito numero testium, aliisque solemnitatibus. Tertiò, ut fructuose fiant, nempe in statu gratiæ, ad animæ salutem, & pro necessitate aut utilitate Consanguineorum juxta dictamen prudentiæ & ordinatæ charitatis.

Qu. 3. *Quid circa Sacramenta observandum sit?* R. itidem tria curanda: Primò, ut complete, quantum fieri potest, sumantur, id est, omnia tria, quæ à moribundis sumi consueverunt: scilicet Pœnitentiæ, Evcharistiæ, Extremæ Unctionis, & etiam cum debitis cæremonijs utpote non parùm conducentibus ad sensum devotionis excitandum. Secundò, ut maturè sumantur, idèoque phantasiæ & vanæ persuasiones à matura sumptione absterrentes eximantur, quales præcipuè sunt, quòd citius postea moriendum sit, quòd morbi vehementia non sinat, quòd domestici perturbandi & contristandi sint. Tertiò, ut fructuose suscipiantur, scilicet cum intentione præfixi finis, cum impletione omnium partium requisitarum, cum devotione & affectu possibili per variorum actuum virtuosorum exercitium.

Qu. 4. *Quid circa munitionem contra tentationes observandum sit?* R. primò inquirendum sollicitè, quibus tentationibus moribundus vexetur. Sunt autem sequentes octo præ alijs valde periculosæ, dubitatio in articulis fidei, desperatio, timor mortis, purgatorij, desiderium vitæ protrahendæ, impatientia, amor inordinatus erga bona amittenda, sollicitudo de Uxore & Filijs. Secundò, remedia ad vincendas tentationes tempestivè & suaviter offerenda, & sedulò cavendum, ne, si non satis dispositus videtur moribundus ad ea acceptanda, impetuosè invito obrudantur. Tertiò, etiam alijs spiritualibus armis, puta aquæ benedictæ asperione, orationibus domesticorum, sacrificiorum oblatione, Crucifixi ostensione, Cerei benedicti protectione juvandus.

Qu. 5. *Quid circa ipsum agonem observandum sit?* Resp. primò, ut ordo commendationis animæ ab Ecclesia præscriptus diligenter recitetur, & ita quidem, ut etiam ab ipso agro, si sensus auditus vigeat, & latinam linguam intelligat, percipi possit, sed & alij ad preces pro moribundo fundendas

dendas admoneantur. Secundo, ut æger non defertatur, etiam si viribus & sensibus deftitutus videatur, cum testimonio virorum fide dignissimorum comperit haberi, ægros tales omnia intelligere, et si nullum signum dare possint; & præterea etiam Medici peritissimi fateantur, se per frequentem experientiam didicisse, quod ipsi etiam perpetuamente in tali articulo ad se redeant. Tertio, ut hoc tempore maxime moribundus ad actus virtutum valde seledus, & pro hoc tempore aptissimos præeundo excitetur, præcipuum virtutum Theologicarum resignationis, invocationis SS. Patronorum, Commendationis in SS. vulnera Christi & num. B. Virginis &c.

Qu. 6. *Quid post mortem ægri sit observandum?* R. primo hortandi adstantes ad preces & Sacrificia pro eo offerenda procuranda. Secundo, occasio sumenda aliquam salutarem doctrinam adstantibus breviter suggerendi. Tertio consolandi domestici ob incertorem ex morte conceptum, & inflandandi, quod moderatè quidem lugere, multum verò juvat mortuum possint, si hanc ipsum dolorem, uri & reliqua bona opera usque ad tricesimum, vel quousque liberit, observant pro ipso.

Qu. 7. *Quibus motivis se Pastor excitare debeat ad manus hoc magna cum alacritate ac perfectione obeundum?* R. tribus præcipue. Primo, *summâ necessitate*, quia scilicet ad hoc ultimò agone tota salus hominis, & æterna felicitas pendet. Secundo, *summâ utilitate*, quæ tum ipsi moribundis ex legitima dispositione, & felici obitu; tum verò etiam Pastori in ordine ad gratiam pro felici morte paratam obeunda impetrandam oritur. Tertio, *summâ incunditate*, quam moribundus percipit, tum per consolationem adstantis Pastoris, tum propter internam lætitiã ex bona conscientia & spe obtinendæ felicitatis, ipse verò Pastor tum ex felici successu sui laboris, tum ex aspectu tot animarum ipsius auxilio in cælum receptarum olim concipit.

Dubia moralia.

Qu. 1. *An licitè absolvere queat Pastor moribundum suum usu carentem, si quicumque testis testetur, ipsum Confessionem petivisse?* R. affirmativè cum Joanne Sancio d. 44. n. 34. & c.

& communi aliorum, atque adeò sufficere, si vel puer tantum de dicta petitione testetur, quia plures testes, uti Glossa in cap. Is, qui per poenitentiam in infirmitate. 26. q. 6. ait, tunc potissimum requiruntur, quando de alterius detrimonto agitur, quod in hoc casu locum non habet. Nec oportebit testem talem necessarid Christianum esse, sed etiam Hæreticus vel Infidelis sufficit, cum de his præsumi non possit, quòd in hoc casu falsum dicturi sint, sed potius præsumendum esset, quòd, ne ministraretur Sacramentum, signa Poenitentia data silentio oppressuri essent.

Qu. 2. *An moribundum licitè absolvat, si testis in absentia infirmi testetur, eum petivisse Confessarium?* R. etiam si Diana d. 3. tr. 3. res. 7. cum pluribus à se citatis neget, licitè id fieri, rectius tamen facturum Pastorem, si etiam in tali casu absolvat, cum ex una parte pro se probatos Auctores, & inter hos etiam Laymannum l. 5. tr. 6. c. 3. n. 9. habeat; ex altera verò parte commodum moribundi non leviter promoveri possit.

Qu. 3. *An absolvere possit illum, qui nullum signum contritionis dedit, nec Confessarium petiit, sed solum Christianè vixit?* R. licet speculativè loquendo meritò, uti communior, ita & probabilior videri possit negativa sententia, in praxi tamen tutò non tantum sequi Pastorem posse affirmativam sententiam, sed juxta multos etiam debere; ita ut Vasquez to. 4. in 3. p. 9. n. 91. a. 2. du. 1. n. 58. & alij nolentem in tali casu absolvere, necatorem animarum vocare non vereantur, cum in necessarijs tutior pars amplectenda, & certiori periculo occurrendum sit; irreverentia verò Sacramenti per appositam conditionem caveri possit.

Qu. 4. *An etiam gravem peccatorem absolvere possit, si in similibus circumstantiis reperiat?* R. etiam hoc concessisse olim P. Simonem Felicem, idque pluribus argumentis probasse; speciatim autem per revelationes, ex quibus habetur, Christum se ejusmodi peccatoribus in agone summè amabilem exhibere, ut hoc tam amabili aspectu eos ad contritionem alliciat, sicque adhuc saltem illi salvari possint; an verò hæc sententia practicanda videatur, aliorum judicio delidendum relinquo.

Qu. 5. *An in tali casu absolutio cum conditione apposita datè*

dari debeat? R. etsi Vasquez & Joannes Sancius apud Dianam non putent, id necessarium esse, cum is, qui probabilem sententiam sequitur, possit absolute & licite actionem, quam licitam esse sententia illa concedit, exercere; quia nomen plerique alij Auctores conditionem apponi volunt, restituet faciet Pastor, si & ipse hanc communioem doctrinam in praxi sequatur.

Qu. 6. *An in articulo mortis ab omnibus Censuris & poenitentis absolvere possit?* R. affirmative ex communi, cum in tali casu similis potestas omnibus etiam simplicibus Sacerdotibus concessa sit. Censentur autem in articulo mortis constituti, non tantum graviter infirmi, sed etiam alij, ut homines longam & periculosam navigationem auspicantes, Milites praelio vicini, omnes pregnantes mulieres parturic vicinæ, uti expressè Mendoza, Bellochius & alij apud Dianam p. 5. tr. 3. ref. 50. concedunt.

Qu. 7. *An tales statim primâ die infirmitatis gravis aut periculi absolvi possint?* R. affirmative juxta Joannem Sancium, Laym. & alios apud & cum Diana p. 3. tr. 4. ref. 57. p. 5. tr. 3. ref. 69. cum tales revera jam censeantur in articulo vitæ, & ex consequenti etiam in articulo mortis constituti.

Qu. 8. *An, si moribundus restitutionem famæ vult per ipsum Pastorem suum facere, possit hic onus istud in se suscipere?* R. etsi Pastor omnibus modis laborare debeat, ut moribundus per se dictam restitutionem faciat, cum ita fieri debet plerique Auctores doceant; si tamen difficulter is ad hoc persuaderi posse videatur, poterit in tali casu servare sententiam Joannis Baptistæ Pozæ apud Dianam, qui absolute concessit talem restitutionem famæ per Confessarium; uti & restitutionem bonorum per hæredes fieri posse. Quod si verò hæreat moribundus peccata sua, per quæ restitutionem contempsit, palam facere, saltem studeat, ut per schedam Pastoris aut Amico cuidam oblatam testetur, quod post mortem de bonis suis certam aliquam summam ad arbitrium Confessorij sui, aut alterius Amici distribuendam applicari velit.

Qu. 9. *An, si Pastor habeat Indulgentias, quæ moribundis applicari queant, possit eas etiam absenti, & non petenti applicare?* R. affirmative, cum id fieri posse doceant probati Auctores apud & cum Diana p. 5. tr. 3. ref. 134. neque aliter

ordinariè in Bullis ejusmodi Indulgentias concedentibus exigatur.

Dubia moralia.

De Viatico porrigendo.

Qu. 1. An pueris & puellis rationis usum habentibus Viaticum Pastor dare debeat? R. etfi Vasquez, Valent. Granad. & plures alij apud Dianam p. 5. tr. 13. ref. 50. Lugo d. 13. n. 37. putent, non esse dandum ante duodecimum ætatis annum, quia tamen, teste Lugone, Recentiores Theologi communiter contrarium docent, & juxta Layman. l. 5. tr. 4. c. 6. n. 13. generalis est regula Juris Canonici: cui pœnitentia conceditur, neque Viaticum debet negari: ideo rectius facturum Pastorem, si ob majus commodum & solatium ejusmodi pueris Viaticum præbeat, nisi consuetudo in contrarium obstet.

Qu. 2. An surdis & mutis à natiuitate Viaticum præbere debeat? R. affirmativè cum Layman l. 5. tr. 4. c. 4. n. 5. & aliis communiter, quia licet tales distinctè edoceri & intelligere omnia non possint, quæ ad substantiam Sacramentorum concurrunt, sufficit tamen, si ad Eucharistiam accedant tanquam ad cibum non profanum, sed spirituales in animæ salutem divinitus institutum, id quod colligere possunt, si videant alios Sacram Hostiam cum magna reverentia ac devotione sumere.

Qu. 3. An Energumenis Viaticum præbere debeat? R. affirmativè, si absque periculo irreverentiæ communicare possint, uti plura Concilia generalia definiuerunt, teste Layman l. c. num. 6. & merito, quia, ut bene advertit Cassianus coll. 7. c. 30. magis inimicus insultabit obsesso, cum eum à cœlesti medicina viderit separatam, tantoque dirius & frequentius attentabit, quanto eum spirituali remedio longè seuteric abdicatum.

Qu. 4. An amensibus Viaticum porrigere debeat? R. affirmativè cum communi apud Dian. p. 2. tr. 14. ref. 78. & p. 5. tr. 3. ref. 46. dummodo non publicè constet, eos notoriè fuisse excommunicatos, aut notorios peccatores & signa pœnitentiæ interea non dedisse; idem etiam de phreueticis & epilepticis sentiendum, si non sit periculum, ne Hostiam Sacram

Sacram indignè tractent, id quod oblatione unius alterius Hostiæ non consecratæ probari potest.

Qu. 5. *An ebriis Viaticum dare debeat?* R. affirmativè cum P. Gobat Alph. com. cas. 13. n. 195. nisi constet ebrietatem fuisse voluntariam, quod quidem de ijs, qui consueverunt sæpius ingurgitare, præsumendum est, non item de alijs, quia in his locum habet Axioma, quòd quisvis censeri debet bonus, donec probetur esse malus; in illis axioma, quòd, qui semel est malus, semper præsumatur esse malus.

Qu. 6. *An, si quis manè sumptâ Eucharistiâ, post unam alterâve horam in vita periculum incidat, Viaticum Pauperi illi porrigere debeat?* R. affirmativè cum Hurtado, Tur. & pluribus alijs apud & cum Diana p. 5. tr. 3. ref. 33. qui docent, infirmum in tali casu non posse tantùm, sed teneri verum communicare. Unde pro hoc & similibus casibus servare potest generalis doctrina, quam P. Gobat in Alph. com. n. 183. his verbis proponit: Singulariter hisce (moribundis) consultum est, ut toties hæc cælesti annona ad æternitatis sortem se reficiant, quoties id faciendum esse pronuntiat aliqua probabilis sententia, esto, aliqua etiam alia probabilis negativè obligationem, dummodo non neget permissionem, & nisi id queat sine aliorum incommodo, singularitate odiosa, nam saltem in hoc articulo decet habere præ oculis duplicem illam regulam duorum Pontificum: In dubijs semitam debemus eligere tutiorem: & tene certum, dimitte incertum.

Qu. 7. *An debeat Viaticum dare sapiens in eodem morbo, si poteratur?* R. etiam varij variè hac de Quæstione sentiunt, potest tamen Pastorem tutâ conscientia sequi opinionem Dicastrii & aliorum apud & cum P. Gobat l. c. n. 317. docentium, potest toties præberi, quoties petitur, unde & Pastor ex charitate saltem obligatur etiam ad illud conferendum.

Qu. 8. *An, si non possit Viaticum satis maturè ad agrum deferre; nisi currat, possit aut debeat hoc facere?* R. negativè quidem, hoc licitè fieri Bonac. Barbosam & alios apud P. Gobat Alph. com. n. 416. eò quòd talis cursus videatur deest Majestatem illius, qui gestatur; rectius tamen id permittitur ipso, & à Quintanaduena, si junctum non sit periculum lapsus, aut scandali; extra hunc casum verò det operam Pastor, ut observet, quod in Decretis Synodalibus Diocesis Angli-

Sanæ quoad hoc punctum constitutum est, nimirum, ut dum Sacram Eucharistiam ad agrum portat, graviter & maturè incedat, composito ad pietatem vultu ac toto corpore Religionem præferente, superpelliceo item & stolâ decenter vestitus. Præterea mundo imposito velamine, Sacrum Domini Corpus ante pectus honestè ferat, referâtque lumine semper præcedente, & sonante tintinnabulo, ut per hunc sonum mentes Spectantium & audientium ad honorandam Christi præsentiam efficacius exstimulentur; unde ne, dum ad Ecclesiam redit, populus falsò existimet, Eucharistiam ab ipso portari, duas semper particulas secum ad infirmum deportet. Ut autem Fideles, & præsertim vicini euntem ac redeuntem religiosè comitentur, & pro infirmi salute DEUM deprecantur, eosdem sapius de Cathedra, vel, ubi alias occasio dabitur, admonebit.

Qu. 9. *An licitè equo vehi possit, dum Viaticum ad agrum deferri?* R. etsi vel maximè conveniat, in tali casu peditem incedere, quia tamen necessitas legem non habet, ideo si moribundus vel longius distet à Parochia, vel ratio tempestatis aut periculi aliud suadeat, poterit sine scrupulo equum conscendere.

Dubia moralia.

De Extrema Unctione.

Qu. 1. *An, si Pastor oleum benedictum non habeat, possit oleum non benedictum adhibere?* R. etsi id fieri posse Joannes Martinon apud Dian. p. 10. tr. 16. ref. 80. putet, & saltem ipsum Sacerdotem oleum hoc benedicere in tali casu posse, Ysambert. apud eundem, uti & Victor & Cajetanus apud Ferdinandum de Castro p. 4. tr. 26. pu. 2. n. 2. velint; quia tamen contraria sententia adeò est communis, ut Suarez priorem temerariam vocare non horreat, ideo non ausim illius praxin suadere Pastori, nisi fortè in extrema necessitate, quando scilicet moribundus non posset aliud Sacramentum suscipere.

Qu. 2. *An saltem Chrisma possit adhibere oleo benedicto deficiente?* R. affirmativè cum Suarez d. 40. s. 2. Henriquez & alijs, quia modica admixtio Balsami non mutat substantiam.

Qu. 3. *An, si videat oleum benedictum deficere, possit non*
Instructio IV. bene-

benedictum eidem miscere? R. affirmativè iterum cum communi Auctorum per ipsam praxin approbata, uti videtur et apud P. Gobat, qui ait, validam adhuc materiam esse, etiam in oleum benedictum plùs de non benedicto fundatur, cui dignius ad se minùs dignum trahat.

Qu. 4. *An, si ager sensu aliquo careat v. g. naso, Adhuc pars proxima inungi?* R. etsi id non esse absolutè necessarium P. Dicastill. tr. 7. d. 1. du. 3. n. 51. doceat, quia tamen multi Auctores ferè omnes apud Dian. p. 10. tr. 16. ref. 81. fieri debere contendunt, ideo meliùs faciet Pastor, si hanc communem sententiam & praxin sequatur, præcipue cum sine ullo sito incommodo, magno verò moribundi commodo facere id possit.

Qu. 5. *An in periculo sufficiat cuiuscunque partis v. g. frontis Unctio?* R. multos hoc negare, sed tamen affirmativam sententiam à tot tantisque Auctoribus (præcipue à Busebio, Escob. Becan. Barb. Arriag. & alijs) doceri, ut nullum sit scrupulum facere debeat, si secundum illam inungat moribundum; licet practicè vix fieri possit, ut non æque facilius aliquem saltem sensum inungere possit.

Qu. 6. *An in casu necessitatis liceat solùm istam aut similes formam adhibere: per Unctionem indulgeat tibi DEVS?* R. cum Bonac. Con. Tann. Regin. & alijs apud Gobat, licet contra multos, doceant, validè & licitè hanc formam in necessitate adhiberi, neque necessarium esse, ut particula Organum, quod ungitur, significans adhibeatur, eò quòd per illa verba, & ipsammet Unctionem factam in ea parte satis significetur sensus, ideo Pastorem sine scrupulo posse uti per hanc formam, si aliam adhibere non possit.

Qu. 7. *An Pueris septennium egressis hoc Sacramentum conferendum sit?* R. per se omnino conferendum esse, cum ex una parte sint capaces peccati, & ex consequenti etiam Pœnitentiæ & Unctionis hujus; ex altera verò parte nulla sit connexion aut ordo inter Evcharistiam & Unctionem quæ præcedit perceptionem; nec ad validam decentemque perceptionem major, sed potiùs minor dispositio requiratur, adeò, cum ad Sacramentum Pœnitentiæ admittantur, non appareat ratio, cur non pariter ad hoc Sacramentum admitti possint, & debeant. Dixi tamen *per se*; quia, si alicubi con-

suetudo contraria introducta est, nec sine scandalo omitti aut aboleri potest, tum rectè faciet Pastor, si dictæ consuetudini se accommodat.

Qu. 8. *An amentibus sit præbendum hoc Sacramentum?* R. affirmativè communis sententia, modò aliquando usum rationis habuerint, quia ut sic, sicut sunt capaces peccati, ita etiam effectûs per hoc Sacramentum produci soliti; secus ajunt sentiendum de perpetuò amentibus, quia hi, cùm sint peccati incapaces, nec Sacramenti hujus capaces erunt; sed si verum esset, quod ex peritissimo Medico ipse audivi, scilicet quòd per longam experientiam edocti sint, omnes etiam perpetuò amentes in fine vitæ rationis usum obtinere, non apparet, cur non & hi inungi possint, nisi fortè cum S. Thoma quis omnino negare vellet, ullum amentem, dum actu amens est, inungendum, quod mihi quidem longè etiam probabiliùs videtur, non quidem defectu peccati in ipso reperi, sed quia propter conditionem amentis vix prudenter præsumi potest, quòd per contritionem velut necessariam dispositionem se capacem facturus sit primarij effectûs, qui est reliquias peccatorum tollere.

Qu. 9. *An, si dubium sit, an puer aut amens rationis usus sit praeclusus, aut morbus periculosus, hoc Sacramentum illis præbendum sit?* R. affirmativè cum Eschobar & Joanne Sancio, quia negotia, in quibus nihil omittendum timeretur, sed potiùs lucrum speratur, audacter tractanda sunt.

Qu. 10. *An ebriis sit administranda Extrema Unctio?* R. P. Gobat Alph. extrem. Unct. n. 832. & 892. nisi aliunde constet, homines tales ebriosos fuisse, & voluntariè se aliquoties inebriasse, perinde de illis discurrendum esse, sicut de amentibus Qu. 8. responsum est.

Qu. 11. *An senio confecti ungenti sint, si notabiliter deficere se sentiant?* R. omnino inungendos, uti Toletus & alij apud P. Gobat docent, ubi addit etiam Concilium Mediolanense 13. ita decrevisse, & meritò, cùm secundùm communem hominum æstimationem senectus morbo æquiparetur.

Qu. 12. *An ij, qui Phthisi laborant, hoc Sacramento inungendi sint?* R. cum experientia doceat, hujusmodi homines subito, ut senes extingui, ideo si advertant, se difficulter sa-

Q 2

ris

nas respirare, & periculum suffocationis timeant, rectè inungi, ut Quintanad. apud & cum P. Gobat l. c. sentit, ubi hic etiam addit, idem sentiendum de eo, qui est in periculo ob sanguinem, qui fisti vix videtur posse, ex naribus vel vulnere fluentem.

Qu. 13. *An, si pes aut manus alicui ob gangranam abscidendus est, licitè adhibeatur Vnctio?* R. iterum affirmative Quintanad. apud & cum P. Gobat l. c. n. 839. quia, cum remedium tale sit valde vehemens, meritò timeri potest, ne deficiat secandus, atque adeò pro graviter infirmo haberi potest, ut quidem illi; sed quia experientia ordinaria ostendit, quomodiò ægros rarò sub cura vel statim potest illam morbi aliunde nondum verè sint in morbo gravi, sed primum in illum casuri timentur, ideo salvo talium virorum iudicio, melius fortè facturus videtur Pastor, si exitum remediij adhibiti exspectet, maximè cum simile periculum etiam extractione calculi & rupturæ timendum sit, nec tamen eiusmodi homines ante sectionem inungi soleant.

Qu. 14. *An Puerperis graves dolores partus patientibus Sacramentum hoc conferendum sit?* R. ad hanc Quæstionem respondere Quintanad. tr. 5. sing. 7. Ungenda est mulier, quando fœtus est extrahendus violenter, vel si proxima est partui, in quo ejus mors ob specialem rationem timeretur, vel ex dispositione parientis, vel quia aliàs experta est tali tempore periclitari, vel quòd eo anno omnes ferè in partu moriantur, quia tunc esse periculum docent Sylvester Navarra Alcozer apud Zambranum.

Qu. 15. *An, si quis graviter aeger aut vulneratus periculosè ad domum Parochialem veniat, atque inungi petat, Pastor eius petitioni satisfacere debeat?* R. affirmative cum Lebo & Vigers apud & cum P. Gobat Alph. unct. n. 854. cum nihil per se locus aut situs pro hoc Sacramento sit præscriptus.

Qu. 16. *An, qui in duello graviter vulneratus est, sanguis superfluit temporis, ut attritionem elicere poterit, quidam quidem in dubio eum fecisse præsumendum est, uti dicit Tamburinus c. 2. §. 4. Layman. l. 5. tr. 8. c. 5. n. 2. Cuius alij post D. Thomam discurrunt.*

Qu. 17. *An Pastor, si probabiliter credat, se nocturnè ad mor-*

gendum agrum vocatum iri, possit S. Oleum secum in domum Parochialem deferre? R. affirmative Arriaga d. 54. f. 2. n. 17. contra Barbosam, cum utique melius sit tali modo asservari S. Oleum, quam sine eo moribundum decedere, unde P. Gobat n. 931. hanc doctrinam, etiam ad ipsam Evcharistiam extendit.

MEMBRUM XXII.

De Observandis tempore Pestis.

Qu. 1. Quid tempore pestis Pastor observare debeat? Resp. tria præstanda, quæ sequentibus versiculis indicantur.

Promptè præstet obsequium

Infirmo indigenti.

Antè paret remedium

Pro peste imminente.

Cautè intret periculum,

Et animo præsentis.

Qu. 2. Quid in specie ante pestem observandum est? Resp. sequentia curanda. Primò, ut bene discat, quomodo & in quibus casibus Sacramenta administrare debeat. Secundò, ut Parochianos salubribus doctrinis & cautelis pro Concione explicatis instruat, & præmuniat. Tertiò, ut sibi etiam de medijs tum spiritualibus, tum corporalibus provideat.

Qu. 3. Quid in peste observandum sit? Resp. primò, ut ad ægros non nisi refectus & medicamentis munitus accedat. Secundò, ut cautè cum ijsdem agat, non adeundo, nisi cum necessitas exigit, nec faciem ijs obvertendo, ne pestilentem halitum hauriat. Tertiò, ut non ultra necessitatem moretur, & si morari necesse sit, fenestrarum apertione & suffitùs excitatione præservare se studeat ab infectione, aut si fortè jam correptus sit, sudorifero haustu vel bolo vel aliâ medicinâ pestem abigere nitatur.

Qu. 4. Quid post pestem observandum sit? Resp. primò, ut summas DEO gratias pro liberatione sua & suorum affectuosissimè persolvat. Secundò, ut animos defunctorum in peste quotidie DEO ferventer commendet. Tertiò, ut tum ipse res, domumque suam suffitu ex Juniperis excitato, aliisque similibus medijs purgari curet; tum verò etiam Parochianos ad omnia hæc tria facienda sedulò hortetur.

Dubia moralia.

Qu. 1. *An Pastor tempore pestis habeat potestatem in casibus reservatis & censuris absolvendi?* R. ex communi Doctórum apud Hauckium Epinom. Paroch. V. absolut. n. 11. affirmativè, quia habitantes in loco infecto censentur constituti in articulo mortis.

Qu. 2. *An ad tuendam vitam possit non audire integram confessionem, sed uno duntaxat alteròve peccato audito absolvere?* R. ita quidem sentire Vasquez qu. 91. a. 3. dis. 2. n. 2. & alios: verùm contrariam sententiam Hauck. l. c. n. 12. & aliorum magis communem, & praxi Ecclesiæ & zelorum Pastorum magis conformem esse, ut, qui ab alijs quidem quæstionibus non necessariis studiosè abstinent, ea tamen quæ ad integritatem formalem pertinent, non minùs sollicitè cognoscere student. Possent tamen Vasquezij sententiam extraordinaria peste servare, in qua scilicet omnis paulò longior mora periculosa esset.

Qu. 3. *An tempore Pestis teneatur cum periculo vita hæreticæ sacramentum ministrare?* R. cum Ferdinando de Castro p. 1. n. 5. per se quidem, si periculum vitare possit, obligari ad hoc ministrandum, cum secluso hoc periculo nullum habeat titulum excusationis; si tamen foret periculum morale contagionis, & æger jam Sacramento Pœnitentiæ & Eucharistiæ munitus esset, probabiliùs non obligari, maxime si evasimendum esset, ne ipso per pestem sublato reliqui Parochiani Pastore carerent.

Qu. 4. *An possit oblongâ virgâ uti ad agrum sacro Oleo unguendum?* R. affirmativè cum Ferdinando de Castro l. c. & communi aliorum, quia non apparet, cur applicatio oblongæ per talem virgam facta non periade dicatur Unctio, acriminibus peracta foret.

M E M B R U M XXIII.

De Observandis erga Defunctos.

Qu. 1. *Quid circa hos præcipuè Pastor observare debeat?* R. duplicis generis officia illis præstanda, quorum priora ad corpus, posteriora ad animam spectant, & corporalia quidem officia sequentes versus indicant.

Ut funus certo tempore
In domo relinquatur.

Ut constituto ordine
Ad templum deferatur.

Ut loci sacri in limine
Ritè sepeliatur.

Spiritualia verò sequentes Versus indicant.

Creberrima recordatio

Propter gratia societatem.

Tenerrima commiseratio

Propter pœna acerbitatem.

Celerrima subventio

Propter auxilii necessitatem.

Qu. 2. Quid circa tempus observandum? Resp. primò, ut cadaver non præproperè nimis sepeliatur; nam, ut Manuale Parochorum p. 2. n. 4. ait, minùs humanum aut urbanum est, corpus exanime mox in sepulchrum proijci, aut humo tegi, & subinde periculosum. Novi ego puer hominem, qui ex vino adusto sæpius sumpto ita refrixerat, & impalluerat, ut pro mortuo sindoni insueretur, at cùm primùm acu se pungi sensit, corpus movere cœpit, & paulò pòst occlamare. Præterea quendam audi vi extremo supplicio affectum, cùm obtentâ sacrâ sepulturâ delatus esset ad locum, repentè se movisse, & aliquamdiu vixisse: ob hanc, opinor, rem, & cujusdam in mortuos pietatis causâ, alicubi per 24. horas, alibi per 12. defunctorum corpora loco honesto, & à Bestijs, quæ infestare possent, securo asservantur, cum cruce & lumine, nonnullis etiam orantibus. Excusare possunt has moras aliqua nonnunquam causæ, tu observabis tuo loco receptam consuetudinem, & cùm opus fuerit aliquâ maturatione, à prudentia consilium petas. Secundò, ut pro actuali sepultura tempus diurnum potiùs, quàm nocturnum eligatur, de quo sic iterum dictum Manuale loquitur: De nocte privatim sepelire quibusdam locis prohibent Episcopi, quibus tunc parandum est, nam publica sepultura ritus est Religionis Christianæ, & honor Christiani defuncti, & immortalitatis animæ publica professio. Tertiò, ut etiam in diurno tempore eligendo ratio consuetudinis (quæ alicubi à prandio, alibi manè funera ad sepulturam deportare consuevit) & officio-

Q 4

rum

ram divinarum (ne scilicet hæc impediatur aut turbetur) habeatur, ubi notanda insuper Manualis doctrina: Ad diem & horam sepulturæ quod attinet, non video quid veter, etiam diebus Dominicis & Festis, imò ipso die Paschæ mortuos sepeliri, si ratio id exigat, neque propterea celebritas festi diei impediatur; die tamen Veneris sancto, si sepelias, abstinendum est à pulsu Campanæ, qui tunc est prohibitus.

Qu. 3. *Quid circa ritum & ordinem sepeliendi observandum?* Resp. primò, ut, quemadmodum bene Rituale Salisburgense monet, sacræ Cæremoniæ & Ritus, quibus ex antiquissima traditione, & summorum Pontificum instituta S. Mater Ecclesia in filiorum suorum exequijs uti solet, tanquam vera Religionis mysteria, Christianæque pietatis signa, & fidelium mortuorum saluberrima suffragia summo studio ferventur, atque usu retineantur, atque ex modestia ac devotione adhibeantur, ut ad defunctorum salutem, simulque ad pietatem vivorum, quemadmodum verè sunt, non ad questum ejusmodi ritus sancti instituti esse videantur, præcipue verò observandum, ut quemadmodum Rituale Romanum præcipit, corpora defunctorum ponantur in Ecclesia pedibus versùs Altare, quod etiam pro situ & loco fiat in sepulchro, Presbyteri verò habeant caput versùs Altare. Secundo, ut caveatur diligenter, ne novæ consuetudines in deducendo funere inducantur, multò etiam magis, ne quid, quod sapiat superstitionem, admittatur. Tertiò, ut, quod iterum Rituale Romanum meritò monet, de pretio pro funebri functione Pastor non paciscatur, aut tanquam debitum exigat pro suo libitu, sed ijs eleëmōsynis sit contentus, quas consuetudo aut Ordinarius concesserit. Igitur ita te geres, inquit iterum Manuale, rogatus mortuum nulla pretij mentione facta, absque molestia aut tergiversatione sepelies; si ij, qui sumptus facere debent, id, quod consuetudine vel litu Episcopi justum est, non offerant, exigere poteris post aliquot dies funeris; si negent, experire omnem aliam viam; si neque sic, age jure coram tribunali Episcopi; pauperes quibus mortuis nihil, aut tam parùm superest, ut propriis expensis humari non possint, gratis sepeliantur, ac debita limina, vel Pastor ipse suis expensis, vel certè aliqua pia confraternitas offerat, turpe enim est, neque satis Christianum,

pauperes mortuos nullo ritu sacro duci, aut projici in locum non sacrum, ut bene iterum ait Manuale.

Qu. 4. *Quid circa locum observandum sit?* R. primò, ut meminerit Pastor, prohibitum sub gravi culpa & pœna excommunicationis, ne Parochi aliquem inducant ad promittendum aut jurandum, se accepturum sepulturam in sua Ecclesia, aut, quam ante elegit, minimè mutaturum. Secundò, ut diligenter arceat à sepultura sacra, quos Ecclesia prohibet in loco sacro sepeliri, quales sunt inprimis omnes sine Baptismo fluminis vel flaminis mortui, Hæretici non tolerati, & eorum Fautores, Apostata à fide, Schismatici, publicè excommunicati aut nominatim interdicti, aut commorantes in loco interdicto. Item seipsos ob desperationem vel iracundiam occidentes, nisi ante mortem dederint signa Pœnitentiæ: morientes in loco duelli, licèt signa Pœnitentiæ dantes; manifesti peccatores sine contritione mortui: Item de quibus publicè constat, quòd absque legitimo impedimento confessionem annuam, vel Communionem Paschalem neglexerint. Tertiò, ut etiam circa alios, quos manifestè à loco sacro Ecclesia non arceat, cautè se gerat, & primò quidem ignotos non sepeliat, priusquam probabilia indicia habeat, quòd Catholici fuerint, & ut tales obierint: dein de si quis mactatus inveniatur, terræ prius non mandet, quàm Magistratus de facta cæde fuerit certior factus. Hoc enim ordo & ratio juris postulat. Denique, ut si quis jus sepulture in certo loco nactus fuerit, eo post mortem ne privetur, reliqui verò in Cœmeterio Parochialis Ecclesiæ, vel, ubi Decimas solverunt, vel, ubi sepulchra Majorum habent, sepeliantur.

Qu. 5. *Quomodo primum officium erga animas defunctorum exercere debeat Pastor, nempe crebram memoriam?* R. in tribus præcipuè occasionibus. Primò, in Sacrificio Missæ, quando specialem Defunctorum commemorationem facere jubetur; ibi enim specialiter recordari deberet clamoribus, quo Anima quædam alicui, qui Sacrificiorum certum numerum promiserat, & illorum loco alia opera obtulerat, suam oblivionem, fideique datæ fractionem exprobravit dicens: Sanguinem, sanguinem posco. Secundò in Officij divini recitatione, ubi in fine cujuslibet ferè horæ meminisse

Q 5 fide-

fideliū, eisq̄ pacem & quietem apprecari iubetur. Tertiò sub transitu per Cœmeterium, ubi in memoriam revocare debet, quod aliquando duobus Religiosis per Cœmeterium transeuntibus, & nihil orantibus contigit, dum scilicet hanc vocem audire coacti sunt: Hi, qui præterierunt, non dixerunt: Requiescant in pace: eum ergo rediissent, & orationem dixissent: Ecce benediximus vobis, audierunt aliam vocem Dominus DEUS illuminavit vos; imaginetur ergo cuius sepulchro inscriptum, quod nonnemo suo inscribi iussit. Hic jaceo, & clamo ad te, ne transeas, ora pro me: *Ich / vnd schrey über sich / geh nit fürüber / bett für mich.*

Qu. 6. Quomodo secundum erga animas officium misericordie commiserationis prestare debeat? R. tribus modis. Primo *affectu*, ex animo scilicet condolendo animabus ob tantum ferum statum, illudque Davidis 2. Reg. 1. usurpando: *Doleo super te, ô anima decora nimis, & amabilis super amorem mulierum.* Sicut Mater unicum amat filium, ita ego diligebam. Secundò *effectu*, id est, efficaci volumine impetrante varia obsequia, per quæ animæ tales ex suis partibus celeriter liberentur. Tertiò *profectu*, id est, conatu in deum majori, quo conetur hunc commiserationis affectum ampliore efficere, quod quidem haud difficulter obtinebitur, si gravitatem pœnarum purgatorii ex magnitudine pœnarum, sùs, damni, & diuturnitate illius conijcere studeat, memineritque, quod S. Thomas dixit, scilicet minimam pœnam purgatorii graviolem esse omnibus tribulationibus hujus Mundi.

Qu. 7. Quomodo tertium officium, scilicet subventio erga animas exercendum sit? R. sequentibus mediis. Primo *per sacrificium Missæ*, ejus quidem efficaciam B. Joannes de Alvernia specialiter expertus est, dum post consecrationem Calicis vidit innumeras animas, ceu multitudinem scintillarum de ignita fornace prodeuntium egredi è purgatorio in cælum evolare; certè hic vel maximè verificatur, quod se quondam dixit Christus: *Ego, cum exaltatus fuero, traham ad me ipsum.* Secundò, *per Orationem frequentem*, ejus efficaciam Conradus de Aspide expertus est, dum unicam orationem Dominicam pro certa anima recitari audivit eandem mirè in suis pœnis fuisse recreatam & liberatam.

viatam; magis autem Frater Henricus ex Ordine S. Domini-
nici, qui dum funus cuiusdā Franciscani comitabatur, anima
hujus ei apprensus dixit: Tu diligenter orare soles pro De-
functis, & ideo mecum 24. animæ cœlum ingressæ sunt, quas
tu liberasti. Tertiò, *psr operum oblationem*, id est, vel
omnem fructum satisfactorium ex illis sibi obvenientem, &
aliis speciali titulo non debitum liberaliter transferendo,
ut multi hodie cum magno suo fructu & solatio faciunt, vel
certè magnam ejusdem partem illis applicando; hic enim
tantò aptior est ad animas illas eximendas, quantò præstan-
tiora sunt Pastoris opera, quàm aliorum hominum suæ tan-
tùm saluti vacantium, id quod multiplicitate hæcenus experien-
tiâ comprobatum est.

Qu. 8. *Quare Pastor specialem Defunctorum curam gerere
debeat?* Resp. ob sequentes titulos. Primò, ob communem
titulum *fraterna Charitatis*; si enim, dum unum membrum
ab igne corripitur, mox alterum totis viribus eum extingue-
re nititur; si, dum Frater in vincula conijcitur, mox Fratres
& Cognati omnia media adhibent ad eum carcere eximen-
dum; si, ut S. Augustinus ait, dum cadit asinus, omnes eum
sublevare festinant, facilè apparet, tantò majori Charitate &
promptitudine animabus purgantibus esse subveniendum,
quantò præstantior est spiritualis fraternitas, quæ ex partici-
patione Sanguinis Christi, quàm quæ ex humano duntaxat
Sanguine oritur. Secundò, ob specialem titulum *Vocatio-
nis ad Sacerdotium*; cum enim per hanc vocationem sit Me-
diator inter DEUM & homines, atque etiam Advocatus mi-
serarum animarum constitutus, eumque in finem præstan-
tissimum medium ad placandum DEUM, scilicet potestatem
Sacrificij incruenti offerendi acceperit, facilè colligitur,
quòd ipse magis etiam, quàm alij non Sacerdotes ad auxi-
lium dictis animabus præstandis obligetur. Tertiò, ob spe-
cialem titulum *Pastoris*; ob hunc enim, cum obligetur ad
oves suas in cœleste ovile perducendas, meritò non in hac
duntaxat vita, sed etiam in altera singularem illarum curam
gerere debet, ne, ut olim P. Laynes suis dicebat, justa illis sit
causa, Charitatem Pastoris quasi imperfectam & mancam
accusandi, conquerendique, quòd medio in itinere, còque in
loco sint destitutæ, ubi nullam sibi ipsis opem queant afferre.

Dubia

Dubia moralia.

De Sepultura.

Qu. 1. *An possit Pastor impedire sepultura electionem in alia, quam Parochiali Ecclesia?* R. cum Barb. de off. Paroch. c. 16. n. 19. negativè, quia electio sepulturæ, quando à jure non prohibetur, est actus liberæ voluntatis, uti S. Rituum Congregatio non semel decidit, addens insuper posse defunctorum corpora, si Pastor requisitus interesse vel dare licentiam velit, etiam sine illius interventu & licentia sepeliri, modo quarta funeralis seu canonica portio propter mortem alicujus eidem debita persolvatur.

Qu. 2. *An possit quemlibet in Ecclesia sua Parochiali sepelire?* Resp. affirmativè cum Navarro apud Barbosam l. c. n. 1. hoc enim ex Clementina Dudum de sepultur. ei cõcessum est. Cavendum tamen, ne propè Altare sepeliatur, sed tribus ad minimum cubitis distet ab eo. Item ut in tumbis profundis infra terram recondatur.

Qu. 3. *An etiam ius sepultura concedere possit, ita ut aliqui suos mortuos sepelire, & alios ab eo loco impedire, & extendere possit?* Resp. cum Barbosa negativè; quia hæc facultas Episcopis tantum convenit, qui tamen ipsi etiam non possunt quocunque modo eam dare, sed tantum juxta constitutionem Pij V. in qua mandatur, ut cadavera infra terram in profundis tumbis collocentur.

Qu. 4. *An, qui ius habet patronatus in aliqua Ecclesia, hoc ipso ius etiam sepultura habere censendus sit?* Resp. negativè cum pluribus apud Barbosam l. c. n. 13. citatis, ubi ait etiam ex solo cursu decennali & cadaverum illatione tale jus non acquiri, sed ad hoc licentiam ædificandi ab initio sepulturæ cum ipsa ædificatione subsequuta requiri.

Qu. 5. *An, si aliquis in Ecclesia sepelitur, aut ius sepeliendi accipit, aliquid pro hac concessione exigere queat?* Resp. negativè, si præcisè pro ipso jure exigatur, quia hoc modo manifestè Simonia committeretur; secus sentiendum est, si tantam Capella pro sepultura vendatur, aut præcisè pro circumstantia sitûs aut dignioris loci aliquid exigatur, tunc enim non venditur ipsum jus spirituale, sed tantum per modum Ele-

mosynæ ad reparationem Ecclesiæ aut sustentationem ministrorum, aut pro honore & præminencia datur, uti multi apud & cum Barbosa l. c. n. 16. docent.

Qu. 6. *An saltem Clericus, qui administrationem gessit Ecclesiæ, vel ex alio titulo ibi residere tenebatur, sepeliri in Ecclesiâ debeat?* Resp. affirmativè cum Barbosa & aliis apud ipsam citatis, quia jus sepulturæ multùm ab administratione Sacramentorum pendet, ut Stephanus Gratianus ibidem citatus docet.

Qu. 7. *An, si Religiosus in Parochia moriatur, & cadaver commodè ad Monasterium deportari non potest, debeat à Pastore illius Ecclesiæ sepeliri?* Resp. affirmativè, quia in tali casu reputandus est pro peregrino, atque adeò, sicut alij ejusmodi homines sepeliri debent; quamvis consuetudo ferè nunc habeat, ut si fieri commodè possit, intra Ecclesiam sepeliantur.

Qu. 8. *An, si aliquis in puteo suffocatus, vel à laqueo suspensus reperitur, in loco sacro sepeliri debeat?* Resp. cum multis apud Barbosam affirmativè; quia, ubi non constat, quòd se ipsum occiderit, vel præcipitaverit, non præsumendum est delictum, cum potuerit per insidias aut vim in puteum projici vel suspendi, aut ex furore seu mentis alienatione id facere. Meo tamen judicio, si commodè fieri posset, rectius faceret Pastor, si, ubi circumstantia aliqua, quæ suspicionem parere potest, voluntariæ cædis intervenerit, negotium hoc ad Episcopum deferat, ab eoque decisionem expectet.

MEMBRUM XXIV.

De Observandis erga Domesticos.

Qu. 1. *Quid erga hos observare debeat Pastor?* Resp. tria, quæ sequentes indicant versiculi.

Impera discretè negotium

Propter infirmitatem.

Exige mansuetè supplicium

Propter Charitatem.

Redde fideliter præmium

Propter æquitatem.

Qu. 2. *Quid circa imperium ulterius observandum sit?* Resp. hæc præcipuè. Primò, ut vires eorum bene consideret; ita

S. Basili-

S. Basilius Constitut. monast. c. 32. indicavit his verbis: At-
tistes perinde ut verus & legitimus Pater, æquè in cunctis
benevolus vires corporis cujusque considerare, atque ita me-
nera singulis imponere, ac distribuere sortitò debet. Se-
cundò, ut ita attemperet imperium viribus, ut minus sem-
per, quàm ferre possint, imponat: nam, ut sapienter P. Hugo
Roth in via regia advertit, mortalium vires ut plurimum do-
biles fervoris & laboris excessu franguntur, exiliam conti-
nuatione roborantur; & verò si Apostolus subditos hortatur,
ut Superioribus obediant, sicque illis levius onus faciant, ut
cum gaudio & non gementes portent; quidni Superior quo-
que moderatè imperet, ut subditi cum gaudio & non ge-
mentes imperata exequantur? Tertiò, ut cum suavitate poti-
tius, quàm cum severitate & supercilio mandata imponat
ita S. Gregorius Nazianzenus Orat. 1. hortatur: *Præfatus
non per vim coercet, sed suasionem illiciat; nam quod necessitate
extorquetur, præterquam quod tyrannicum est, & impro-
bandum, ne firmum quidem ac stabile sit; quicquid enim violen-
ter cogitur, non secus ac planta per vim manibus inflexa atque
distracta, simul ut missum factum est, rursus ad se redire con-
suevit.*

Qu. 3. Quid circa castigationem vel correctionem observa-
ndum sit? R. sequentia præcipuè cavenda. Primò, ut carere
præcipitiam, nec unquam alicujus subditi correctionem
suscipiat, donec certam de commisso errore vel delicto no-
ticiam habeat; nunquam enim infelicior est curatio, quam
cum Medicus mali incogniti curationem suscipit. Secundò,
ut & asperitatem caveat; nam, ut S. Prosper l. 2. de vit. cont.
c. 2. bene advertit, leniter castigatus exhibet reverentiam
castiganti, asperitate autem nimia & increpatione offensus,
neque increpationem suscipit, neque salutem; quem in-
nem pulcherrimum S. Augustini tr. 7. in Ep. 1. Jo. 1. moni-
tum altè menti infigi debet: *Semel breve tibi præceptum præ-
cipitur: Dilige, & fac quod vis: sive taceas, dilectione taceas,
sive clames, dilectione clames: sive emendes, dilectione emen-
des: sive parcas, dilectione parcas, radix sit inus dilectionis,
non potest de ista radice non bonum existere.* Tertiò, ut spe-
cialiter frequentiam seu assiduitatem caveat, nam testè
Bernardo Ep. 25. *Censura nunquam quidem remissa,*

missa tamen plerumque plus proficit; sed & Cicero agnovit, non modò liberale esse paululum de jure suo cedere, sed interdum etiam fructuosum.

Qu. 4. Quid circa pramiationem observandum sit? Resp. sequentia tria. Primò, ut agnoscat, & æstimet, & nonnunquam etiam moderatè collaudet subditorum diligentiam atque conatum; sic enim & Christus fecit, dum ad Apostolos suos Luc. 22. dixit: Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus Regnum. Secundò, ut victum necessarium liberaliter offerat; si enim bovi trituranti olim os alligari vetuit DEUS, quantò magis Homini & Fratri necessarium victum subministrari volet; certè hìc vel maximè locum habebit illud S. Lucæ: Quà mensurâ mensi fueritis, eadem remetietur vobis; & qui parcè seminat victum, parcè & diligentiam & fidelitatem Famulorum metet. Tertiò, ut non modò salarium liberaliter, sed etiam fideliter & maturè offerat, cùmque in finem illam S. Tobix c.4. saluberrimâ doctrinâ sibi applicet: Quicumque tibi operatus aliquid fuerit, statim ei mercedem tribue, & merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat; dignus est enim Operarius mercede sua. 1. Tit. 5.

MEMORIALE

PASTORIS BONI
MUNUS BREVI, FACILIQUE
METHODO COMPRE-
HENDENS.

Hactenus paulò fusiùs ea, quæ ad bonum, omnibùsque Numeris absolutum Pastorem requiri videbantur, explicare conatus sum; quia tamen non parùm ad ejusmodi doctrinas firmiùs memoriæ imprimendas conducit, si portiora earundem capita in Compendium contrahantur, totâque materia sub uno quasi aspectu proponatur, ideo ne hoc quoque subsidio defraudarem Pastores, hoc Memoriale Appendicis loco subungere volui, id unum vehementer desiderans, ut, quicumque Pastoris munus suscipere decreverunt, Memoriale hoc velut absolutissimam Pastoris boni Ideam frequenter &